

igitur Dei auxilio in sublimi tollit oculos a ruina, sed demum per animi gratitudinem, Deum se pollicetur exaltaturum bonis actionibus. . . Ut decor animae accedat, & efficaciter perfectiva eorum, quae necessaria sunt, potentia, divina opus est gratia. Ut igitur supra dixit, quoniam vita in voluntate ejus; sic nunc Deum in reddendis gratiis exultat dicens: In voluntate tua praestitisti decori meo virtutem. Pulcher quidem eram secundum naturam, debilis autem factus per peccatum per insidias serpentis adversus, perii. Pulchritudini ergo meae, quam a te in prima creatione accepi, addidisti virtutem, eorum, quae me addecent, effectivam. Haec Basilius magnus. A quo autem efficaciam fortitur gratia illa, quam & praeventientem, & effectricem, & ad singulos actus tantopere necessariam praedicavit, paucis, sed decretoriis plane verbis, expedit Libro de Spiritu sancto capite 8. Auxilium, inquit, quod per imperium suae potentiae operatur in nobis. Quo elegantiori epiphonemate, discretissimas quasque loquendi formulas, quae supremam gratiae vim elocutus est Augustinus, compendio digessit.

Cetera quid memorem hujus dogmatis confessionaria, in Augustino ab Lauanojio censuris iniusta, & a Basilio magno diu antea propugnata? Totum Deo tributum ab Augustino, queritur tetricus Censor? Totum quoque Basilius tribuit, in Regulis brevioribus, Interrogatione 247. Omnia, inquit, recte facta Deo sunt adscribenda, non sibi. Deam vitam aeternam electis impartientem, sua munera coronare, professus est Augustinus; eaque de causa Censoris ferulam subit? Id ipsum Basilius proficitur in Psalmum 114. Manet requies sempiterna illis, qui in hac vita legitime certaverint, non tanquam debitum operibus reddendum, sed ob munificentissimi Dei gratiam, in quem speraverunt, exhibita. Indeclinabili, & insuperabili gratia hominem agi docuit Augustinus, idque Lauanojio nostrum male habet? Docuit & Basilius, ac pari etiam verborum forma, Sermone de libero arbitrio: Impossibile est propriis viribus offendicula vestiti hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei succurvat. Communi itaque virga utrumque feriat, qui gratiae vindicem violatae Majorum Traditionis incusat.

Basilio ut sanguinis vineolo, ita doctrinae confessione jungitur Gregorius Nyssenus Episcopus. De gratia, meritis omnibus, conatibus, dispositionibus praevia, ejus illa vox est, aere digna, in primum versum Psalmi 135. Quidquid boni, & salutaris a Deo hominibus venit, id universum venit gratia, & bonitate illius; cum in nobis nulla ejus accipiendi causa inesset. E contrario cum nos omni improbitatis genere obruti fuerimus, ipse e natura sua nequaquam deservit, sed id, quod est, egit. Neque enim decet eum, qui natura bonum est, aliud, quam quod ex natura sua est, agere. Mirum dictu! Non modo hominem, nihil de suo adnitentem, victoriamque censo demersum prior Deus occupat, ut adnitatur, & fergat; verum etiam, ut ita se in hominem gerat Deus, ex naturae conditione ducitur; minulque bonitati suae, ac maiestati consultum irret, si secus ageret. Quam efficaci autem, quam valenti auxilio iacentem hominem erigat, exponit idem Gregorius Homilia 5. in Cantica, hanc Sponsi vocem expendens, surge & veni: O vim mandati hujus! exclamat. Responde Dei vox est, vox potentatis, quemadmodum in Psalmorum Libro dicitur: Ecce dabit vocem suam, quae vox est potentatis: ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. En etiam modo, prolatis ad iacentem verbis hisce, surge, ac veni, mox ex mandato fit opus ipsum. Simul enim, atque vim, potentatemque sermonis illa recepit, exurgit, & adsistit ei, jam-

que propius ad lumen accedit, quemadmodum is ipse testatur qui eam vocat. Et Libro de differentia essentiae, & hypothesis, (qui nihil ab Epistola 43. sancti Basili ad Gregorium ipsum fratrem suum, diversum habet) efficacem divinae gratiae operationem, intimamque agendi vim enarrat, verbis omnium discretissimis: Quodcumque ad nos a divina potentia, atque virtute bonum provenierit, haec omnia efficientis gratiae actionem, & opus esse dicimus, ut inquit Apollolus: haec omnia operatur unus, & idem Spiritus, distribuens singulatim unicuique prout vult. Si inquiramus autem an a solo sancto Spiritu bonorum subministratio, accepto initio, ita perveniat ad eos, qui digni sint iis bonis, rursus a Scriptura deducimur ad id, ut subministratio bonorum, quae per Spiritum nobis suppeditantur, principem, auctorem, & causam Unigenitum Deum esse credamus: Unde vero tam potentis gratiae necessitas orta sit, rationem assignat Libro de Oratione, illam ipsam, quam ab Augustino traditam capit audacissimus Criminator: (Pag. 52.) Quare precamur, ut a Deo bonum nobis animi propositum contingat? Quia infirma ad bonum est humana natura, postquam somni per visioositatem enervata est.

Sequitur Hilarius Pictaviensis Episcopus, inter gratiae defensores ab Augustino ipso laudatus. Sic ille ad ea Psalmi 118. verba, Inclina cor meum Deus in testimonia tua, gratiae triumphis complaudit, omnia illi accepta referens: Omnia Propheeta ad munus Dei revulit, sive ut lex justificationum sibi statuatur a Domino, sive ut sibi intelligentia praestetur, sive ut deducatur in semitam, sive ut cor ejus in testimonia inclinatur. Quibus recentis, hanc sibi in oppositum factam objectionem extulit: si omnia a Deo sunt, humana ergo ignorantia caret culpa, cum nihil obviare possit, nisi quod donatum a Deo fuerit. Sic sane Patres omnia iam tunc a Deo esse praedicabant, ut iis ipsi calamitatis obijcerentur, quas secutus inde temporibus Pelagiani, ac Massilienses grandioribus tibi cecinerunt. Quo ex uno colligere pronum est, eandem illis, ac Augustino, stetit sententiam, quae latus iisdem calamitatis aperiret. Pergit caetero Hilarius, & praeventientis gratiae necessitatem exponit, ad eum ejusdem Psalmi versum: & veniat super me misericordia tua Domine: quod a Regio Vate idcirco dictum observat, quia omnia vult a bonitate Dei in se inchoari. Quibus paria habet in primum versum Psalmi 123. Ad hunc Deum, inquit, habitantem in nobis gaudia nostra referamus: huic, si quid in nobis est, debeamus; a beato Paulo edocti nihil nostrum existimandum, dicente: quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?

Quid ergo altera illa Hilarii sententia sonet, quae Lauanojio oculos ferit, ex Canone 6. in Mattheum excerpta, fati ex dictis intelligens: De nostro igitur, inquit eo loci eloquentia Rhodanus, est beata illa aeternitas proneranda: praestandumque est aliquid ex proprio, ut bonum volumus, malum omne vitemus. An enim contrarium sibimet ipsi Hilarius reputabimus, cui cum omnia Dei esse, nihil nostri, tam discrete antea pronunciauerit, nostra modo, & propria merita ambiciosius extollit? Minime gentium. Quia, & hoc divini muneris est, ut Dei dona fierent merita nostra. Hinc Augustinus Libro 1. ad Simplicitianum questione 2. Ut velimus enim, & sum esse voluit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. Sed de his alias.

Nunc quo te, Athanasj, piaculo raeam, qui ut Aeternum Dei Verbum, praedestinationis, & gratiae fontem, toto pectore ebibisti, ita secretiora gratiae, praedestinationis arcaea poteris referasti? Sane Augustinus gratuite praedestinationis

nis exemplum a Christo petiit, atque inde luculentissimam rationem derivavit, ut hanc in solam Dei misericordiam refundendam ostenderet: Est etiam, inquit, Libro de Praedestinatione Sanctorum capite 15. preclarissimum lumen praedestinationis, & gratiae, ipse Salvator, ipse Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis, vel operum, vel fidei praecedentibus meritis, natura humana, quae in illo est, comparavit? Respondeatur quae: ille homo, ut a Verbo Patri coaeterno in unitate personae assumptus, filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque processit? Quid egit ante, quid credidit, quid petiit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? . . . Sicut ergo praedestinatus est ille unus, ut Caput nostrum esset; ita multi praedestinati sunt, ut membra ejus essent. Humana hic merita conticeant, quae pervenerunt per Adam; & regnet, quae regnat Dei gratia, per Jesum Christum Dominum nostrum, unicum Dei Filium, unum Dominum. Quisquis in Capite nostro praecedentia merita singularis illius generationis invenit, ipse in nobis membris ejus praecedentia merita multiplicatae generationis inquit. Totum id ex Athanasio delibatum dixeris secunda adversus Arianoj Oratione, ubi hanc illorum blasphemiam multis exagitat: Cum Deus praecognosceret eum Christum bonum futurum muturavit, ut illi hanc gloriam daret, quam homo postmodum ex virtute mereretur; & quasi iam tum opera ejus extarem, quae providebantur a Deo, talem cum iam statim in praesentia voluit fieri. Imo, si bene conjicio, Semipelagianorum cavillationes, ex Arianoj blasphemiarum confutatione distinctius occupavit Athanasius: si quippe ad futuram meritum praescientiam, tanquam ad extremum vallum, caeteris depulsi munimentis, confugiebant.

Neque satis Athanasio fuit, gratuitam per omnia Christi Domini praedestinationem stabilire, omni meritum, ex unionis gratia germinantium praenotione, Incarnationis consilium antevertere, penitus ablegata: nos ipsos pari omnino sorte ex aeternitate in eo praedestinos ostendit, nullo operum nostrorum intuitu, sed hujus unius meritum habita ratione; nosque idcirco electos, ut sancti effemus, quia iam ex animi benevolentia destinatar, ut cum Christo nostrum omnium Capite regnarem. Locum integrum exscribere non pigebit ex tertia adversus Arianoj Oratione, haud longe a fine: Creans igitur nos per Verbum suum omnium verum Deus, cognita habens nostra melius quam nosmetipsi, prospiciens nos bonos quidem creatos, sed postea tamen praevariatores factivos praecipui sui, efficiendosque ex paradiso ob contumaciam; ipse ut humanus, & bonus, jam antea instituit in Verbo suo nostra salutis procuracionem; ut quavis decepti a serpente excideremus, non tamen penitus extincti maneremus, sed habentes in Verbo jam ante preparatam nobis redemptionem, & salutem, iterum resurgentes immortales perseveraremus; cum Filius pro nobis initium viarum creatus fuisset, & qui primogenitus est creaturae, primogenitum se fratrum redidisset: & qui primitivus est mortuorum, resurrexisset. Id beatus Apostolus ille Paulus scribendo ita esse docet, dum illa Proverbii dicta, ante avum, & priusquam terra fieret, exponit in sua ad Timotheum Epistola: Collabora Evangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu, ante tempora aeterna: manifestata est autem nunc per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam. Ad Epheios item: Benedictus Deus, & Pa-

ter Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in coelestibus in Christo: quemadmodum elegit nos in se, ante facta fundamenta mundi, ut sancti effemus, & incontaminati coram ipso; quum iam animi benevolentia praedestinasset, ut nos sibi in filios adoptaret per Jesum Christum. Quomodo igitur elegisset nos antequam fieremus, nisi, ut ipse dixit, in ejus animo iam antea praefigurati, delineatique fuissimus? Ex Athanasio itaque Theologia, nullius nisi Christi Domini meritum praenotio, aeternum praedestinationis nostrae consilium anteverit.

Porro quo jure praedestinationis nostrae liberalitate, ex Christi praedestinationis liberalitate, non secus ac Augustinus, repetit Athanasius; ita efficaci gratiae firmitatem, ex Christi gratiae firmitate derivat. Quare illum idcirco gratiae donationem existimavit, non modo; ut eam in membra transfunderet; verum etiam, ut quam in ipso obtinet firmitatem, eandem obtineret in nobis. Quam vero indestinabilem, & insuperabilem Augustinus appellat; hanc ille inademptibilem dicitur, pari omnino sensu, atque sententia. Ipse sibi, Athanasio verba sunt Oratione 4. adversus Arianoj quasi data consuevit (Deus Verbum) quae humana accepit, ut eo, qui Dominus erat, accipiente, & in ipso donatione istarum verum residente, gratia ipsa firma permaneret. Nam quod merus homo accipit, id ei eripi potest: cuius rei specimen in Adam vidimus; quippe qui illud, quod accepit, perdidit. Ut autem gratia inademptibilis esset, firmamque hominibus custodiretur, ea de causa hanc donationem, ut propriam sibi arrogat, dicitur se postestatem accepisse ut hominem, quam semper habet ut Deus.

Veniat ex intima Syria sanctus Ephrem, a summis Ecclesiae Patribus, Gregorio Nysseno, Amphilocho, Chryostomo celebratus; & quam mente gereret de gratia, & praedestinatione sententiam nobis aperiat. In Augustinianum dogmatem statuendo totus est piissimus Pater, Opusculo de Timore Dei; ubi Gentiles praer Jadae electos docet, nulla meritum ratione habita, sed ex uno Dei vocantis imperio, nuda, ac libera voluntate; utque supremam auctoritatem ostenderet, nulli proferri reprehensionem obnoxiam: quod peccata ex sacris literis elegantia figura confirmat. Luculentiora verba sunt, quam ut argutis, aut finitris interpretamentis eludi queant: Dic mihi, inquit, cur Jacob primogenituram a Manasse ablatam transtulerit in Ephraim? Hanc praesidio Jacob mercatus erat, & gratis eam Ephraim tribuit. Et in hoc neque Manasse culpandus est, nec Ephraim in admiratione habendus; sed potius donantis auctoritas, in quem non cadit reprehensio, suspicienda est. Quis igitur Gentium primogenituram reprehendere tentat? Quod si Judei id facere voluerint, reprehendant primum, quod Manasse adempta sit. Qui enim eam ab eo abstulit, non peccavit, ut suam in eo auctoritatem ostenderet. Admit autem illam ipsi, quia peccaverant, ut justum suum iudicium in eo declararet. Quod si a nemine coargui possit Jacob, quomodo a Manasse, qui non peccaverat, primogenituram abstulerit; quomodo ipsum quicumque reprehendere audebit, qui ut justus iudex primogenituram a Judeis, qui Dominum occiderant, abstulit? Jam si gentem integram, pro nutu, atque imperio feligit, in donantis auctoritas ostendatur, nec tamen illam sibi injuriam causatur altera: quidni privatam quemcumque liberit, feligit pro arbitrio, nec tamen contra hincere, atque mutare caeteri audebunt? Neque enim conferendorum donorum Dominus est, seu privati hominibus, seu integri gentibus conferantur; aequae illi in singulos summa potestas, summum imperium.

Eandem animo Theologiam imbibere Ecclesia Græcæ Theologus Gregorius Nazianzenus; ac tanquam Apostolicæ doctrinæ caput, sacris ad populum declamationibus explicabat; ut hominum libi plus æquo tributuum elationem retunderet. Extat ea de re egregium fragmentum Oratione 31. ubi Apostoli oraculum versans, ad Romanos 9. non volentis, neque currentis, ita suos alloquitur: Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam Creatori, & sapientie eorum auctori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant; his verbis eos docet Apostolus, quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat; imo, ut rectus loquar, voluntas quoque ipsa, & electio eorum, que recta, & cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Idcirco ait, non volentis id est non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam miserentis Dei. Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo assignavimus. Quidni igitur in Gregorium censuram Launojus excrèt, a quo nedum doctrinæ summam, verum etiam sermonis formam mutuatus est Augustinus?

CAPUT XXIII.

Quarti cadentis sæculi Patres, & quinti inveniunt Augustino suffragari ostenduntur.

Vetus est illa, ac diu ante Launojū a nonnullis fructa calumnia, Joannem Chryso- stomum procul ab Augustini de divina gratia placitis abiisse, imo puris, purisque Semipelagianorum erroribus præfuisse. Mihi vero Doctoris eximii codices diligentius evolventi longe aliter visum est; tantamque eos inter doctrinæ consensionem reperire contigit, ut quo jure Augustinum, eloquentiam majestate, Ecclesiæ Latine Chryso- stomum voco, eodem plane Chryso- stomum, in- corrupta de divinis Auxiliis doctrinæ professione, Ecclesiæ Græcæ Augustinum nil dubitem appel- lare.

Incorruptam ejus, castamque, de initio voca- tionis, & fidei, sententiam produnt pauca hæc ex multis selecta testimonia, quæ gratiam humanis quibusque conatibus præziam, qualem ab eo ne- gatam nonnulli putant, discretissime profiterentur.

Homilia 1. in Epistolam 1. ad Corinthios, ita Apostolum loquentem inducit. Cum Ecclesiam persequeretur, & depopularet, vocatus sum. Hic ejus quidem, qui vocat, est universum, & ejus autem, qui vocatus fuit, nihil est, ut semel dicam; nisi solum quod obediit. Per voluntatem Dei. Deus enim hoc voluit, ut sit vos salvi effectis, Nos enim nihil recte egimus, sed per voluntatem Dei sal- lutem invenimus, & quoniam ei visum est, vocati sumus, non quoniam digni eramus. Equis, quæso, Apostoli vocationem præziis ejusdem conatibus tribuat, cum non modo nihil ad finem conaretur, sed contra fidem admitteretur?

Homilia 3. in 2. ad Corinthios, Deum augmen- ta gratiarum idcirco collaturum ostendit, quod initia convulerit. Ipse est, inquit, qui nos in Chris- to confirmat, hoc est, qui nos a fide, que in Chris- tum est, dimoveri non sinit, atque ipse etiam est, qui nos unxit, Spiritumque in cordibus nostris dedit, qui tandem non futura quoque daturus est? Nam cum principia, & materiam, ac radicem, hoc est, veram ipsius cognitionem, ac Spiritus participatio- nem largitus sit, qui fieri potest, ut non ea etiam largiatur, que ex his oriuntur?

Homilia 1. in Epistolam ad Romanos, gratiam prævenientem conceptissimis verbis adstruit. Non igitur Apostoli fuerit, qui egregia illa facinora præ-

stiterit, sed gratia illos præveniens. Et Homilia 13. in Joannem: Non enim nostris præcedentibus meritis hanc accepimus remunerationem. . . . sed gratia Dei, que semper in beneficiis priores sibi partes vendicat, neque solum quod facti sumus ex nihilo, sed quod facti, & facienda didicerimus. Et Homilia 71. in idem Joannis Evangelium, ad illa Christi Domini verba: Sicut ego dilexi vos, inquit: Non enim vestris præcedentibus meritis debuit persolvi, sed ego incepi. In eandem plane sensum Homilia 38. in Genesim, de Chanana ex occasione sermonem habens: Neque responso, inquit, dignatur eam misericors, & clementissimus Dominus, alioqui preces nostras semper præveniens. Cur porro Deus ita se in hominem gerat; cur conatus, preces, ac merita anteverat, rationem elegantem indigat, Homilia 7. in Epistolam 1. ad Timotheum, ex divinæ bonitatis conditione petitam, quæ priorem se a nobis occupari non patitur: Tanta est, inquit, divina bonitas, ut ipsa sola sufficiat ad rationem, & causam amandi, non expectata, nec requisita causa ex parte eorum, qui amantur.

Erit fortasse qui dicat, Chryso- stomum in cæ- teris quibusque bonis operibus, gratia prævenientis necessitatem agnovisse, excepta nihilomi- nus fide, quam a communi bonorum operum sorte exceptam voluerit. Verum solitum illud Massiliensium effugium præcluit sanctissimus Pater, de fide haud aliter, quam de reliquis sta- tuens. Prælo est locus insignis Homiliæ 12. in caput 4. Epistolæ 1. ad Corinthios, cujus hæc ipsa verba sunt: Acceptum ergo habes, non hoc, aut illud, sed omnia que habes, etiamsi fidem dicas, ea exitis ex vocatione, estis dicis remissionem peccatorum, si dona, ac christiana, si docendi rationem, omnia inde accepisti. quid ergo habes, inquit, quod non habes acceptum? At ipse ex te recte egisti. Non potes hoc dicere; sed accepisti: propterea te offers, & tibi places. Propter id ipsum vero oportebat te intra fines modestiæ continere. Non enim tuum est, quod datum est, sed ejus, qui dedit. Si enim accepisti, ab illo accepisti. Si autem non tuum accepisti, quid magnifice, ac præ- clare de te sentis tanquam habens tuum? Luculentius multo, Libro de Virginitate cap. 42. idipsum expedit Chryso- stomus, ex Apostoli Pauli sententia. Non ait (Paulus) Consilium do, ut fidelis effectus, sed ut cui Domini clementia fidelem esse datum sit. Ne Apostolum solum, præconium, & magisterium Dei manifestentis putate. Nam ipsum etiam credere mihi ejus clementia questum est. Non enim, inquit, qui dignus essem, fidem accepi, sed cui misericordia modo contigerit. Misericordia au- tem gratia est, non ex merito. Itaque nisi misericors esset Deus, non tantum Apostolus, sed ne fa- delis quidem unquam effectus potuisset. Videni serui gratitudinem, animumque contritum, ut nihil sibi ceteris plus arroget; quin id etiam, quod sibi cum discipulis commune esset, fidem, suum esse neget, sed Dei clementia, & benignitatis?

Quæ cum ita sint, quoties apud Chryso- stomum legis, expectare Deum bonas hominum af- fectiones, conatus, initia, ut gratiam merentibus largiatur; de gratia utique subsequente dictum accipere, quam videlicet pulsantibus, potentibus, adnitentibus largitur Deus; tametsi nonnisi optulante gratia præveniente, & adnitantur, & pe- tant. Alias Chryso- stomum Chryso- stomo repu- gnantem habebis, qui nulla in homine bonæ vol- untatis initia novit, ope gratia non elicita. Si- cubi autem, in voluntatis arbitrio positum innuit, ut bonum aliquod exerat, salvis gratiæ juribus dictum puta: nec enim alio sensu id humanis viribus relictum exilitat, quam posita gratia. Men-

Mentem in aperto ponit sanctissimus Pater Ho- milia 22. in Genesim: Nonne manifestum, inquit, sua quemque voluntate, vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, & nature nostre po- restas instita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum, POST GRA- TIAM DEI, relictum est, ideo, & peccantibus supplicia propostia sunt, & bene operantibus retribu- tiones. Priores ita partes gratiæ esse voluit; nec nisi iis positis, cætera voluntatis arbitrio permittit.

Haud minus probata Chryso- stomo gratia sua- pte natura victrix, qui discretissimos quosque lo- quendi modos, Augustino familiare usurpavit, ut vim ejus intimam, efficaciam, potestatem su- perari, ac vinci neciam, enarraret. Decretorium plane est, quod habet Homilia 9. de laudibus di- vi Pauli: Videmus, inquit, plures ad defensionem sue ignavia pretextu tali usi; & quando eos ad- hortamur, ut illuminentur, & ad meliorem vitam convertantur, atque ad alia id genus bona opera, respondere quasi cumstabundos, & resistentes: si Deus voluit, persuadent mihi, & convertar. An non ita subinde argumentatos vidimus Adrumeti Monachos, lecta Augustini ad Sixtum Epistola, qua intima illa gratiæ vis commendatur? An non ita in Augustini discipulos, secutus inde temporibus, disputatur? Eandem igitur Chry- so- stomi, ac Augustini hypothesein fuisse necesse est, quæ iisdem plane calumniis, atque argutiis petebatur. Neque enim quicumque, efficaciam ex voluntatis affensu pendula defensores iis incom- modis læcessit. Quid vero Chryso- stomus im- portunis arguatoribus? Hos, inquit, non arguo, sed valde probo, quod ad voluntatem Dei consu- giunt. Vellam autem nos etiam nostra afferre, & tunc dicere, si Deus voluerit. Eorum itaque sen- tentiam probat, qui conversionem, & persuasio- nis efficaciam, in divinam ita revocant volun- tatem, ut ad ejus imperium certissime consequar- tur; modo tamen nullam inde pravi homines, torporis, atque desidia animum arripiant.

Iis gemina sunt, quæ leguntur Homilia 2. in Psalmum 50. Dicit Deus, (inquit S. Pater) nolo adulterum esse adulterum: & statim ipsius sermo in opus prodit. Dicit: fornicator non jam sit fornicator: & statim ipsius sermo mores ejus im- mutat, ac peccatum retundit: atque ut hoc ita esse intelligas, dicit: Cælum fieri volo: & cælum factum est. Terram fieri volo: & substantia illa ex nihilo in ortum producta est. Angelos fieri volo: & Angelorum agmen confestim exiit. Quid? Substantias intelligentia præditas, & corpora, que prius non erant, ipsius sermo efficit, & peccata solvere non potest? Et Homilia 8. in caput 2. Epistolæ ad Philipenses, ad ea Apostoli verba: Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere, rem totam paucis confringit: Et propensionem, inquit, voluntatis ipse nobis dat, & operatio- nem. . . . Vult enim (Deus) nostram nos ad il- lius voluntatem aggregare, atque ita, ut vult, vivere. Quod si Deus vult, illud autem, quod vult, ipse operatur, certe hoc quoque operabitur, ac præstabit, ut recte vivamus. Illa scilicet ipsa sunt, quæ iisdem ferme verbis, apud Auguti- num habentur: Deo volenti salvum facere, nul- lum humanum arbitrium resistere; operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelatio- nes, sed etiam bonas voluntates; homines non agere modo, sed agi; alique id genus, quibus intima gratiæ efficaciam commendatur.

Jam totum, in salutis negotio, Deo tribuen- dum, quod ægris auribus excipit tetricus Cen- sor, ubique passim inculcat Chryso- stomus, non Serry Tom. V.

fecus ac Augustinus: Libro de Virginitate cap. 36. Quid ergo (dicit Paulus) plus illis omnibus laboravi vel potius non ego; sed gratia Dei mecum. Non partim suum, partim Dei confet, sed totum Dei. Hoc gratiæ serui est, nihil proprium ducere, sed omnia herilia, nihil suum putare, sed omnia Do- mini. Homilia 20. in 2. Epistolam ad Corinthios: Videte Pauli prudentiam? quemadmodum videlicet eorum virtutes efferens, laudem omnem Deo adscri- psit? Homilia 15. in Acta: Hoc solum nobis cura sit, quomodo vincamus diabolum. Imi non no- stri studii opus est, sed divine gratiæ totum est. Homilia 2. in Epistolam ad Colossenses. Nullus enim ostendit talem vite sue institutionem, & ges- sionem, ut dignus habeatur regno; sed totum est ejus doni. Ecur, quæso, totum adscribitur Deo, cum, & nostrum sit aliquid, consensio nimirum, operæque collatio? Nisi quod, & consensionem, & operæ collationem Dei gratia operatur in no- bis, juxta illud Augustini estatum lib. de grat. & lib. arb. cap. 6. certum est nos facere cum fa- cimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Quod alterum gratiæ se ipsa victicis ab Chryso- stomo propugnata argu- mentum est. Qui enim gratiæ efficaciam ex af- sensu suspendunt, totum profecto Deo non tribuunt, sed partem plurimam voluntati, quæ gra- tiam suaute natura versatilem reddidit effica- cem.

Quid gratuitam prædestinationem ad gloriam loquar, quæ ut statuti, de gratia se ipsa victi- ce, dogmatis consecrarium est, non potuit Chry- so- stomo non probari? Et quidem efficacem voca- tionem ad gratiam, meritumque collationem, ex efficaci, quæ secundum propositum est, ad gloriam prædestinationem colligit; tanquam Deus electis merita largiatur, quia illos destinavit ad gloriam; non contra destinavit illos ad gloriam, quod sit illis merita largiturus. Egregius in eam rem locus est Homilia 3. in 2. Epistolam ad The- salonicenses, ubi illud Apostoli versat: Semper pro vobis oramus, ut Deus noster ista vocatione dignos vos habeat, & omne propositum bonitatis sue, & opus fidei cum potentia compleat: quod ille hæc præclara commentatione illustrat: Ut dignetur, inquit, vos vocatione. Nos enim fuerunt vocati. Propterea subjungit: & impleat omnem volunta- tem bonitatis sue. Nam is quoque, qui sordidis erat indutus vestibus, fuit vocatus, sed non mansit in vocatione. Sed propterea magis effectus fuit a vocatione in thalamum sponsi. Nam quinque etiam virgines fuerunt vocatæ. Surgite, (inquit,) sponsus venit, & parate erant; sed non sunt in- gressæ. Significans ergo quamnam vocationem in- telligat, subjungit, & impleat omnem voluntatem bonitatis sue, & opus fidei in virtute. Hanc qua- rum vocationem, (inquit,) . . . Omnem, (in- quit,) voluntatem. Hoc est beneficiatum, & quod est persuasum, certumque ac statutum. Hoc est, quod fiat, quod Deo certum est, ac persuasum. Ut nihil vobis desit: ut sitis, ita, ut vult. Et opus fidei in virtute.

Huic proxime conferendus locus alter, ex Ho- milia 2. in Epistolam ad Colossenses, ubi hoc idem exequitur, alteramque insuper Augustini discipu- lis familiarem rationem exequitur, qua Deus, nondum exploratis hominum meritis, eisdem des- tinare gloriæ dicitur; quod in ejus positum sit potestate, ut illos meritis exornet, ac destinata gloria dignos efficiat: cum contra viri principes, honores, ac publica ministeria subditis col- latur, merita in antecessum explorent, quod il- lorum conferendorum non habeant potestatem. Chryso- stomi, dictum Apostolicum exponentis, idoneos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lu- mine,

mine, verba sunt. *Magnum est effatus: Talia sunt, quae data sunt, (inquit) ut non solum dederit; sed etiam sortes fecerit ad accipiendum. Quod autem dixit, sufficientes fecit magnum pondus ostendit. Ut si quisquam Rex factus fuerit, potest cui velit, dare praefecturam, & hanc ei solum potest dare dignitatem, sed non eum reddere aptum, & idoneum ad gerendum magistratum: Sepe autem eum etiam ridiculum facit honor. Si autem eum dignitas aptum fecerit ad honorem, & idoneum ad administrationem; tunc ea res est honor. Hoc ergo hic quoque dicit, quod non solum nobis dedit honorem; sed etiam sortes fecerit ad accipiendum. Duplex ergo est hic honor, quod etiam dono aptos fecerit, & idoneos. Non dixit solummodo, qui dedit, sed etiam: Qui sufficientes, & idoneos fecit in partem sortis sanctorum in lumine... Cur vocat sortem? ostendens, quod ex bonis suis actionibus, & recte factis nemo regnum assequitur. Sed quomodo fors est potius, boni eventus, ita hic quoque. Nullus enim ostendit talem vitae suae institutionem, & gestionem, ut dignus habebatur regno; sed tamen est ejus doni. Propterea dicit sic: & vos cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Nam, quae debemus facere, fecimus. In partem sortis sanctorum in lumine: Hoc est cognitio. Videtur autem tibi simul dicere, & de praesentibus, & de futuris.*

Nec omittendam quod habet idem Chryso-
stomus Homilia 2. in caput 1. Epistola 2. ad Timotheum; illud Apostoli versans: vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam; cui praeclaram hanc commentationem appingit: Quomodo vocatus es, inquit, vocatione sancta? hoc est, sanctus effectus, qui peccatores, & inimici eramus. Sed hoc non ex nobis, sed ex divino munere est. Si igitur ille, & potens est vocando, & bonus, idcirco per gratiam, non ex debito faciendo; nihil est cur metamur. Qui enim nos, cum perditum, inimicique essemus, salvos per gratiam fecit, multo magis cum operantes viderit, cooperatori accedet. Non secundum opera nostra, inquit, sed secundum propositum suum. Nemine cogente, neque consulente, sed ex proposito suo, sola vi suae bonitatis impulsus, salvos nos fecit, secundum propositum suum, & gratiam.

Chrysostrum tamen totum in aere suo facta Launojus, cujus unam, alteramque periodum ar-
rodit, ex Homilia 16. in Epistolam ad Romanos, est illud de more locum indigiter. Prior sic habet: Unde ergo alii quidem vasa irae, alii autem misericordiae? a propria voluntate. Deus autem admodum bonus cum sit, in utrisque eandem ostendit bonitatem. Quod adversus gratiam efficacem, bonis, & obsequentibus peculiarem, pronuntiatum opinatur. Altera his verbis effertur. Nondum enim natis pueris, cum neque boni fecissent quippiam, nec mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, dictum est illi: Major seruet minori, hoc enim praesentia est, ab ipsorum videlicet partu electionem facere. Quo dicto gratuita praedestinationem explosam exitimat. At peperam, & incassum. Equis enim nesciat, ex voluntate proximae nasci, quod bonus, malusve sit homo; quod vas misericordiae, vel irae? Verum alia subinde quaestio nascitur, unde demum voluntas id habeat, ut flectatur ad bonum, cum ex quo tempore originis vicio fauciat est, ad malum saepe natura propendat? quam eo loci solvendam sibi non sumpsit Divus Chrysostrum, sed laudatis paulo ante locis tractandam reliquit. Utrumque igitur, juxta Augustini hypotheseum, aequae constat: & trahi hominem a Deo Patre

auxiliis efficacibus, & propria interim voluntate duci. Si tibi proponam questionem, inquit ille, Libro 2. contra Litteras Pelagiani capite 84. quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines, quos in libero dimisit arbitrio? Fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est; sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Equis etiam ignoret, Deum ex aeternitate praestitisse, qui boni, quive mali futuri sint, illos diligere ante tempora, istos odio prosequi; praemia illis, istis supplicia destinare? Annon id millies, cum Chrysostrum, aliique Patribus, Augustinus inculcat? At aliud praeterea quaeritur: cur nempe, cum omnes aeternae damnationi nascantur obnoxii, alii quidem ipsorum improbitati permittunt praesciantur: alii, ut inde emergant, immensis gratiae beneficiis cumulandi? En abstrusum gratuitae praedestinationis arcanum, in unum Dei beneplacitum refundendum, ipso Chrysostrum iudice, atque hac ipsa in Homilia, quam latenter terribis Censor arrodit: quemadmodum enim figulus, ait, ex eadem massa, quae vult vasa, facit, ac nullus contradicit; ita hic eadem ex genere hominum, alios quidem supplicio, alios autem honore dum afficit, ne curiosus, sollicitusque sis causae perreositor; sed hunc adorato tantum, & lutum imitare: ac quemadmodum illud figuli manus sequitur; sic, & tu sententiam ejus, qui haec dispensat, nihil enim temere, nec sortuito facit, ut etiam ignores sapientiae arcanum. Tu porro figulo permittis, ut massa ex eadem dissimilia, ac differentia vasa fingat, nec vitio veris. A Deo autem rationem exigit tum suppliciorum, tum honorum? nec concedis, ut sciat ipse quis dignus, quis rursus indignus sit? Sed quoniam eadem massa ejusdem substantiae est, tu ne easdem voluntates censos dignas esse? quantum haec quae insanium arguunt? Atqui ne in figulo quidem est, ut ex eadem massa praedat, & quod honoratum, & quod ignominiosum est, sed ab eorum est usu, qui vasa pertrahant: quemadmodum, & hic a voluntate. Veruntamen quod prius dixi, in unum hoc solum accipiendum est ipsius exemplum, quod videlicet non oportet Deo contradicere, quin potius incomprehensibili illius sapientiae concedere.

Ambrosium quod attinet, strenuum illum praevientis, & efficacis gratiae defensorem, compendium nobis laboris, & operae fecit Augustinus ipse; qui ut fe illius discipulum profiteretur, ita multa ex illo loca decerpit, quae Pelagianos, ac Massilienses exagitavit, Libro 4. ad Bonifacium cap. 11. Libro de Gratia Christi cap. 44. 45. 46. & Libro de dono perseverantiae cap. 8. 13. 19. 23. His pauca ista adicere non pigebit, quae Launojum directo feriant. Libro 1. de Cain, & Abel capite 7. Disco nunc, inquit, quemadmodum unusquisque moveatur, ne se ipse auctorem suorum peccatorum honorum. Ne dicas, inquit, in corde tuo: virtus mea, & potentia mea fecit virtutem mihi hanc magnam; sed in mente tua habebis dominum Deum tuum; quoniam ipse dat vires, ut facias virtutes. Unde bene Apostolus quasi legis interpretis non gloriabatur in virtute sua; sed minimum Apostolorum se esse dicebat, & quicquid esset, gratia divina esse, non meriti sui; nihilque non habere, quod non accepimus. Quid enim, inquit, habes, quod non accepisti? Et Libro 2. de Abraham capite 10. Concluste enim Deus omnia in incredulitate, ut omnibus miseretur, ut non volentis, neque currentis, sed miserantis, Dei esset gratia; ne te ipsum justificares, sed omnia tribueres Deo, qui te vocavit. Unumquemque, ut videt, monitum ait Ambrosius, ne fe ipse auctorem suorum putet honorum: e contrario Launojus ipstituta, de ad-

versa Augustiniana doctrina fortuna, historica narrationi initium dedit, hac praegravi, viroque Theologo digna sententia; (Pag. 23.) ad Augustinum usque universum creditum est, ac citra dubitationis aleam positum, nosmetipsos nostrae praedestinationis auctores esse. Totum divini muneris esse monitum ille; hic (Pag. 48.) Augustinum illud idem stantem, erroris, ac novitatis inculcat.

Pergit Ambrosius, & vel ipsas boni cogitationes, ac desideria, Dei dona contendit, capite ultimo Libri 1. de Cain, & Abel: Quidquid autem sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia. Et in Psalmum 118. Concupiscentiam desiderare, quasi non sit praestatis nostrae desiderium, sed gratiae Dei... Omnis creatura, quacumque bona habet, accipit a Christo, qui totus est auctor creaturae. (Pag. 25.) Ex adverso Launojus ne ipsum quidem velle, & agere divini muneris esse dicitur, & Augustino aliter stantem erroris notam affricat. Quid tandem? Vocacionis gratiam ex Dei nutu, & inaequali mensura dispensatam profiteretur Ambrosius loco ante appellato: ergo cui vult, inquit, miseretur, & quem vult, obdurat: hunc miseratus horatur, illum non revocat execratus. Et Libro 7. in Lucam: Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit. Hanc indiffereta dispensatione, ac pari omnino mensura singulis promiscue collatam Launojus effuzit, tota, a capite ad calcem, male nata scriptuicula.

Et tamen, si superis placet, Ambrosii nomen usurpat ferivud Actor, latamque ab eo in Augustinum sententiam obtendit, quod scripserit Libro 5. de Fide capite 6. Pater quoque non petitionibus deserre solet; sed meritis; quia Deus personarum acceptor non est. Unde, & Apostolus, ait, quos praescivit, & praedestinavit. Non enim ante praedestinavit, quam praesciret: sed quorum merita praescivit, eorum premia praedestinavit. Et libro 2. de Cain, & Abel capite 3. Redemptor ideo omnibus opem sanitatis detulit, ut quicunque perierit, meritis suae causae sibi ascribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quos post evadere: Christi autem manifesta in omnes praedictur misericordia; eo quod ii, qui pereunt, sua perierit negligentia; qui autem salvantur, secundum Christi sententiam liberentur, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Verum nec aliud statuit Augustinus, quam quod illis definit Ambrosius, modo in ream intelligentiam accipiat. De Christi morte, ex gratiae vindicis mente, pro omnibus oppetita diximus, cum alibi saepe, tum maxime capitibus 2., & 7. nec aliud superest quod dicamus. Alterum de gloria, iis a Deo Patre destinata, quos recte victuros, pervidit, ex dictis paulo ante Augustinianum sensum accipit, majoremque ex dicendis proximo capite lucem accipiet.

Hieronymum mendacem faciat necesse est, qui eum Augustino contrarium dixerit. Mihi autem decretum est te amare, te suscipere, colere, mirari, tuaque dicta quasi mea defendere: Bethleemitici Patris verba sunt, Praesulem Hipponensem compellant Epistola 172. Et certe cum orto paulo ante Pelagio stilum moverit, primusque in eandem vindicta arma contulerit; nulla illi lucubratio exit, qua divinae gratiae necessitatem, vires, efficaciam non extulerit. Ex multis pauca delibo, quibus perspicuum fiat, non qualemque gratiam ab eo positam esse, sed eam plane, quam ab Augustino propugnatam criminatur Traditionis investigator.

Libro 2. Dialogorum contra Pelagianos: Ex quo intellegimus, non nostrae solum esse praestatis facere, quod volumus, sed, & Dei clementiae, si nostram Serry Tom. V.

adjuvet voluntatem. Et longe infra: Ut sciamus Dei esse donum, bonum omne, quod gerimus, ego, inquit plantabo eos, ut nequaquam eradicentur; & ego dabo eis cogitationem, & sensum, ut intelligant me. Si cogitatio, & sensus dantur a Deo, & intellectus Domini ex illius, qui noscendus est radice pullulatus: ubi est liberi arbitrii tam superba factatio? Et Libro 3. Salomon loquitur, devolve super Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuae. Tunc enim nostra cogitatio confirmatur, quando omne, quod agimus, quasi super stabilem, & solidissima m petram Domini, adiutorium devolvimus, eique cuncta reputamus. Plenius vero nonnullis interiectis: Dominus dicit, ego sum vitis, & vos rami, qui manet in me, & ego in eo, iste assert fructum multum, quia sine me nihil poteris facere. Sicur rami, & flagella vitium illico contabescunt, cum fuerint a matrice concisa: ita omnis hominum fortitudo marcescit, & deperit, si a Dei auxilio deservatur. Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Quando dixit, nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrii libertatem: quod etiam velis ad Christum pergere, nisi fiat illud, quod sequitur, nisi Pater meus coelestis traxerit eum, nequaquam cupiat, & frustra nitatur: Simul, & hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non sponte currit, sed aut retrahens, aut tardus, aut irvitus adducitur... Longum est si voluera cuncta sacrarum Scripturarum exempla praeferre. Totus sermo sanctorum ad Deum oratio est: tota oratio, & deprecatio extorquet clementiam Creatoris, ut, qui nostris viribus, & studio salvari non possumus, illius misericordiae conseruemur. Ubi autem misericordia, & gratia est, libero arbitrio cessat: quod in eo tantum est, ut velimus, atque capiamus, & placitis tribunamus assensum. Jam in Domini potestate est, ut id, quod cupimus, quod laboramus, ac nitimur, illius ope, & auxilio implere valeamus.

Epistola ad Cyprianum, adversus nascentem Pelagianam haeresim scripta, hoc idem inculcat sanctissimus Pater: Velle, inquit, & currere meum est: sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim Apostolus: Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere. Et Salvator in Evangelio: Pater meus usque modo operatur, & ego operor: semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit. Peto, ut accipiam, & cum accipero, rursus peto. Avarus sum ad accipienda beneficia Dei: nec ille desiccit in dando, nec ego fatior in accipiendo. Quanto plus habero, tanto plus scio. Et Epistola 13. ad Cyprianum Presbyterum: Homo a principio conditionis suae Deo utitur adiutore: & cum illius sit gratia, quod creatus est, illiusque misericordiae, quod subsistit, & vivit: nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret. Ne libertas arbitrii redundaret ad injuriam Creatoris, & ad ejus contumaciam, qui ideo libere conditus est, ut absque Deo nihil esse se noverit. Ac tandem, ut cetera mittam, Libro 1. Commentariorum in Epistolam ad Ephesios, ad illum versum capitis 1. In quo sorte vocari sumus, etiam & nos praedestinati secundum propositum ejus, sic habet: Nos homines plerumque volumus facere consilio, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus: illi autem nullus resistere potest, qui omnia; que voluerit, faciat. Haecenus Hieronymus. Gratia porro, qua, & cognitio, & sensus, & intellectus dantur a Deo; qua posita cuncta Deo tribui intelliguntur, liberumque ex parte cessat arbitrium; qua detrahentem, ac etiam invitum trahit, & dicit ad Christum, humanaeque voluntatis contumaciam, ac super-

biam frangit; cui demum nullus obstitit, quominus omnia, quae voluerit, operetur in nobis: annos illa ipsa est, quam ubique passim vindicat Augustinus, quam Launojus erroris insinuat, carpit, veritque ludibrio?

Imo memorata ad Ctesiphontem Epistola, divini auxilii necessitatem, ad minimos libertatis actus protendit, intra naturae ordinem constitutos, atque ex sua ipsorum specie indifferentes: & Pelagianum auctorem aliter statuentem durioribus verbis habet, multoque sale defricat. Quae de re haud fatiscio, an acrem Pelagianis litem moverit Augustinus: tamen jugi naturae Auctoris auxilio, ad haec ipsa egere hominem non ignoro. At quae, inquit Hieronymus, audite sacrilegum, si, inquit, voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurre, spiritum jacere, duobus digitulis navium purgamenta decutere, relevarae altum, animam digerere; semper mihi auxilium Dei erit necessarium? Audi, ingratis, imo sacrilege, Apostolum predicantem: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite. Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrii libertatem, si ad Deum semper auxilium recurras, si ex illius pendeas voluntate? Quibus haud mitiora habet sanctissimus Doctor Libro 1. Dialogorum adversus Pelagianos, non longe ab initio.

De gratuita ad gloriam vocatione, ab exploratis in antecedentibus meritis minime pendula, imo quae meritorum electis conferendorum causa sit, explicat Hieronymi sententia est. Sacrarum enim hoc de argumento Scripturarum oracula, non fecus ac Augustinus, interpretatur, & in hanc ipsam sententiam flebit. Exemplo sit illud Apostoli ad Romanos 9. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas apud Deum? cuius haec expositionem dat Epistola 7. ad Hebraeos questione 10. Si Esau & Jacob nati erant; nec aliquid egerant boni, aut mali; ut vel promererentur Deum; vel offenderent; & electio eorum, atque abiectione non merita singulorum, sed voluntatem eligentis, & abiectionis ostendit, quid ergo dicemus? Iniquus est Deus? secundum illud exemplum, quo loquitur ad Moysen: Miserebor cui miseratus fuero, & misericordiam praestabo, cui miserabor. Si hoc, inquit, recipimus, ut faciat Deus quodcumque voluerit, & absque merito, & operibus, vel eligat aliquem, vel condemnet: ergo non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; maxime cum eadem Scriptura, hoc est, idem Deus loquatur ad Pharaonem: in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in universa terra. Si hoc ita est, & pro voluntate sua miseretur Israelis, & indurat Pharaonem: ergo frustra queritur, atque causatur, nos vel bona non fecisse, vel fecisse mala: cum in potestate ipsius sit, & voluntate, absque bonis, & malis operibus, vel eligere aliquem, vel abiectione; praesertim cum voluntati illius humana fragilitas resistere nequeat. Quam validam questionem, Scripturarum ratione contextam, & pene insolubilem, brevi Apostolus sermone dissolvit, dicens: O homo! tu quis es qui respondeas Deo? Et est sensus: Ex eo quod respondes Deo, & calumniam facis: Ex de Scripturis tanta perquisis, ut loquaris contra Deum, & iniustitiam voluntatis ejus incusas, ostendis te liberi esse arbitrii, & facere, quod vis, vel tacere, vel loqui. Si enim in similitudinem vasis fictilis te a Deo creatum putas, & illius non posse resistere voluntati, hoc considera, quia vas fictile non dicit figulo, quare me sic fecisti? Figulus enim habet potestatem, de eodem luto, aut eadem massa, aliud vas in honorem facere, aliud in contumeliam.

Exemplo quoque sit illud alterum ejusdem Apo-

stoli ad Ephesios 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati coram ipso: quod ita adornatis ad eam Epistolam Commentarii interpretatur: Non ait Paulus, elegit nos ante constitutionem mundi, cum essemus sancti, & immaculati, sed elegit nos, ut essemus sancti, & immaculati, hoc est, qui sancti, & immaculati ante non fuimus, ut postea essemus. Non eliguntur Paulus, & qui ei similes sunt, quia erant sancti, & immaculati; sed eliguntur, & praedestinantur, ut in consequenti vita per opera, atque virtutes, sancti, & immaculati fiant. Quod etiam adversus Origenis errorem ex instituto scripserit Hieronymus, Semipelagianam tamen hypothesein ex aequo petit. Si enim idcirco Deus electos praedestinavit ad regnum, ut sancti sint; non itaque futurae sanctitatis praesentia praedestinationis est causa, sed potius consecutivum.

Illud demum Christi Domini oraculum expendens Hieronymus, quo Tyrios, & Sidonios poenitentiam acturos declaravit, si haec ipsa apud illos miracula edidisset, quae paraverat in Judaea, ita divinatorum judiciorum altitudinem demitur ad caput 11. Matthaei: Quasat prudens lector, & dicat: si Tyrius, & Sidon, & Sodoma potuerint agere poenitentiam ad praedicationem Salvatoris, signorumque miracula, non sunt in culpa, quod non crediderunt; sed vitium silentii in eo est, qui actus poenitentiam noluit praedicare. Ad quod facilis, & aperta responsio est: ignorare nos judicia Dei, & singulorum dispensationum ejus sacramenta nescire. Non itaque, Hieronymo iudice, futurorum meritorum, bonarumve dispositionum praenotio, vocationis, aut electionis est causa, sed una Dei secreta voluntas, quae sua pro nutu dona dispensat. Equidem praedictis demum Apostolis, post Christi in caelos ascensum, Tyrii, & Sidonii crediderunt: at interim quot antea morte sublati perire, qui visis Christi miraculis credidissent?

Et hic rursus ex adverso obstrepat pseudo-Traditionis fabricator, varia in oppositum Hieronymi dicta ingerens, ac nullum, ut afolet locum appellans, quantum tamen coadjicere licet, haec ipsa sunt, quae sequuntur. Libro 1. Commentariorum in Epistolam ad Galatas, ad haec prioris capituli verba, cum autem placuit ei, qui me segregavit, sic habet de Jacob, & Esau: Ex Dei praesentia evenit, ut quem scis justum futurum, prius diligat, quam oriatur ex utero; & quem peccatorem, oderit antequam peccet. Non quo & in amore, & in odio iniquitas Dei sit; sed quo non aliter eos habere debeat, quos scit, vel peccatores futuros esse, vel justos. Epistola 3. ad Damasum: Dedit ei liberum arbitrium, dedit mentis propria libertatem, & ut viveret unusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo: id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum, ut a ceteris animantibus distaret, dum ad exemplum Dei permittitur, est nobis facere, quod velimus. Unde, & in peccatores aequum judicium, & in sanctos, aut justos justum praemium retribuitur. Libro 13. Commentariorum in Isaiam ad caput 49. Dei enim est vocare, & nostrum credere: nec statim si nos non credimus, impossibilis Deus est: sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut justis voluntas praemium consequatur.

At nemini cuiquam negotium ista facebant, qui mentem ad laudata superiorum testimonia intantum attulerit. De primo diximus, dum de Chrysolomo ageremus; nemini scilicet dubium esse, quin Deus ex aeternitate praenoscit, qui boni, quive mali futuri sint; quin illos diligat ante tempora, istos odio prosequatur. En primam, simplicemque questionem, de qua nemo unquam dubium mo-

movit. Verum alia statim emergit abstrusior, quae magna in hanc diem ingenia fatigavit: cur, cum omnes aeterna damnatione ex aequo nascantur obnoxii, a qua nemo potest nisi per Dei gratiam liberari, alii quidem in massa perditionis relinquendi praevideantur; alii, ut inde caput exerant, gratiae beneficium exornandi? Hanc, quae altioris indaginis est, eo loci non attingit Hieronymus. Quare dato brevi illo responso, subiunxit e vestigio: Et haec quidem simpliciter dicta sunt, & absque ulteriori dissertatione possunt utrumque placere lectori: satis nimirum intelligens, aliud longe abstrusius, longe altius superesse, ad integram institutae questionis elucidationem, investigandum. Alterum ex Epistola 146. petitum, ad liberi arbitrii defensionem unice dictum est, salvis nihilominus, testibus divinae gratiae iuris: alioquin cum iis aperte pugnet, quae paulo ante ex Dialogis, & ex celebri ad Ctesiphontem Epistola recitavimus. Unde, & illa ipsa, quae prima fronte duriora videri poterant in objecta sententia, unumquemque nimirum vivere, non ex imperio Dei, sed obsequio suo, ita statim exposuit, ut de tyrannico imperio liberum arbitrium perimente, dictum ostenderet: id est, inquit, non ex necessitate, sed ex voluntate. Ultimum haud aliter accipiendum. Credere quidem nostrum est; at praecedente vocatione, non qualemque, sed illa ipsa, qua Pater trahit ad Christum; de qua Hieronymus Libro 3. Dialogorum: Etiam si velit homo ad Christum pergere: Nisi Pater mens caelestis traxerit eum, nequaquam cupiat, & frustra nitatur. Ceterum quod sequitur, Deum omnipotentiam ipsam nostro arbitrio derelinquere, tamen minus fortasse limitatum, rectam nihilominus, ex memoratis sanioris doctrinae principiis, intelligentiam mutatur; nihilque, ex Hieronymi mente, sibi vult aliud, quam ultra divinae potentiae auxilium, nostrae etiam voluntatis arbitrium desiderari. Verum si in sensum a nonnullis recentioribus excogitatum accipitur, uti profecto Launojus accepit, ut suam Deus omnipotentiam arbitrio nostro subiciat, ac veluti doctet, ut ea, sine verius donis ejus pro nutu; atque imperio utamur, damnata proscriptaque assertio est. Quod ne quis invidiose magis, quam vere annotatum existimet, late censurae decretum subijcio.

Feria 5. die 23. Novembris 1679.

IN Congregatione generali S. R., & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo D. N. Innocentio Papa XI., ac Eminentissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica Christiana, adversus haereticam pravitatem Inquisitionibus generalibus, a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis, cum supradictis Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis delata fuerint duae propositiones, scilicet: Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum: Et, Deus subijcit nobis suam omnipotentiam: eorumdem jussu, per Theologos ad id specialiter deputatos, diligenter examinatae fuerint: quorum votis auditis, & re Sanctissimo Domino nostro relata, & coram sua Sanctitate proposita, una cum votis ipsorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium, Sanctitas sua decrevit, & mandavit, ut ambae propositiones omnino prohiberentur, sicut eas praesenti Decreto damnat, & prohibet, ut temerarias, ut iniuriam, & novas; mandatque ne quis deinceps, cuiuscumque sit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alicuiquam audeat imprimere, vel

imprimi facere, sive scriptis, aut etiam orationibus docere, vel asserere, sub poenis, & censuris in Indice Librorum prohibitorum contentis, aliisque sanctionibus suis bene visis.

Franciscus Richardus Sanctae Romanae, & universalis Inquisitionis Notarius.

Patrum superiorum temporum Traditionem constantium claudet agmen Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Augustino aetate suppar, imo uno, alterove anno superites; eidemque in praedicanda divinae gratiae liberalitate, efficacia, proxime conferendus. Quid hac ejus sententia disertius, quid luculentius, Libro 4. Commentariorum in Isaiam oratione 2. Ut luto non figulo cedimus, ut, quod ipsi visum est, operetur. Transfert enim circa laborem quocumque voluerit, quae nostra sunt; & a turpioribus ad id, quod bonum est, animum transformat, nobisque cor novum imminuit, extirpato priore. Nimirum ejusmodi quidam dixit voce Ezechielis: evellam cor lapideum ex carne ipsorum, & dabo illis cor carneaem, id est, tenerum, & sequax. . . . Et quid ita mirum, aut incredibile videri debet, si hominis mentem pro suo arbitrio aliter fingat, ac fabricet, qui manu caelum firmavit? Hoc scilicet est, quod voluit Augustinus, novoque Censori stomachum movit; Deo volenti salvum facere nullum humanum arbitrium oblitere; penesque illum stare humanorum cordium, quae voluerit, quo voluerit, quando voluerit, inclinandum, omnipotentissimam potestatem. Quid hoc alteram dicam, ex Libro 5. eorumdem Commentariorum excerptum; quo, & gratuita electio, & intima vocationis efficacia conceptissimis verbis declarantur? Providentia Dei servatus est quisquis inter Judaeos erat salus per Christum dignus. Nimirum dicitur Paulus gratuita electione partem aliquam desumptam fuisse dicit, & secretionem, ac segregationem quadam, tanquam ex omni Judaeorum regione reliquias Israelis iretinas, & illaqueatas. Si quid ejusmodi ex Augustini stylo fluxisset; si gratiam homines irretire, & illaqueare, alicubi forte significasset sanctissimus Doctor; quam subitus isto Censoris capiti fervor accessisset! At ringitur licet, frontemque feriat, cetera Cyrilli testimonia perpendamus.

Libro de Adoratione in Spiritu duplex auxilii genus, penes ac Augustinus, distinguit; alterum quidem in mera suatione menti inmissa, & admonitione positum; alterum longe fortius, & efficacius, quo voluntatis pervicacia superatur, ac frangitur. Ita quippe illud Genesis 19. apprehenderunt Angeli manum ejus, praclare interpretatur: Inducium autem tibi sit valde manifestum, dum non solum verbis nos extimulat, & adorationibus menti immittit, ut discedamus a peccato; sed tantam benignitatem nobis exhibet universorum Salvator Deus, ut efficaci subsidio adjuvet, secundum quod scriptum est: apprehendisti manum dexteram meam, & in consilio tuo deducisti me. (Psalm. 72.) Nam quoniam hominis natura non valde generosa est, neque satis idonea, ut malum fugere queat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, persuadens admonitionibus, ut subsidium invocemus; & fortius illud praestans, quam ut malum praesens, & evidenter prevalere possit.

Gravia sunt haec, sed fient eorum, quae dicturus sum, comparatione levissima. Nedom gemina illa Augustiniana doctrinae capita Cyrillus asseruit; verum etiam illa ipsa eorumdem confessoria, quae gravioribus, frequentioribusque censuris Launojus inuist, pari dicendi forma, pari animi sententia propugnavit. Certe quam invidiose Augustini interpretationes, de Christi morte pro solis singulorum generibus appetita, de

que fusa pro folis electis oratione, (quarum sensum 2., & 7. capite planum fecimus) traduxerit tetricus Censor, nihil ultra attinet percensere. Intercalaris querela illa est, singulo quoque capite recantata. Porro Cyrillus hoc idem Scripturarum oraculis interpretamentum dedit, Libro II. *Commentariorum in Joannis Evangelium*; illud ejusdem dilecti Discipuli dictum recolens, ex Epistola I. *Canonicae capite 2. v. 2.* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. *Vorum*, inquit, *beatus Joannes, quoniam erat Judaeus, ne pro Judaeis tantum paracletus esse Dominus apud Patrem videretur, non autem etiam pro aliis gentibus, que vocata, obsecrate sunt: necessario pro toto mundo adjicit, id est pro omnibus, qui per fidem vocati ad justitiam, & sanctificationem perveniunt. Dominus autem noster Jesus Christus suos a non suis separans, pro eis, inquit, tantummodo, qui verba mea servant, & jugum meum acceperunt, rogo. Nam quorum mediator, atque Pontifex est, ipsis tantummodo mediatio bonum, non injuria attribuit: quos etiam datos sibi fatetur.*

Alterum Augustini dictum, haud minori invidia exceptum ab audaci Criminatore, illud profecto est, quo secutum ex originis vitio peccandi necessitatem asseruit, nisi inter praesentis vitae tentationes divino auxilio muniamur: cuius perinde sensum in aperto posuimus capp. 2. 3. 7., & pervulgato Innocentii I. effato confirmavimus: *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuvante, vincamur.* Vide jam quid ea de re statuat Cyrillus Alexandrinus, Libro de *Adoratione in spiritu*. *Ubi Deus manum quasi contrahit, & auxilium suum suppeditare nobis cessat, necessaria incidere, & omni virtute excedere, & subire quasi alterius jugum, & in tanta provenire mala, ut prope necessarium sit, etiam intellectum, qui nobis ad omne bonum servit, & intra nos habitat, deperire.*

Num ista, ceteraque supra laudata, ex Augustino delibari Cyrillus Alexandrinus, haud fati scio: imo minus verisimile arbitror, Graecum hominem Latini hominis codices dehorasce. Id tamen satis compertum, digna profus esse, que ex summi gratia Vindicis calamo fluxerint.

CAPUT ULTIMUM.

Familiares priscis Ecclesiae Patribus loquendi formulae, ab Launojo frequentius obiectae, cumulativius expenduntur, & cum Augustini sententia conciliantur.

Tamet si veterum testimonia, a spuria Traditionis Contaminatore, misere corrasa, & in praeposteros sensus ignoranter accepta, singularum, pro re nata, haecenus exposuerim, ut suam unicuique intelligentiam redderem: facturum tamen me opera pretium existimavi, si frequentiores eorumdem loquendi formulas, ab Launojo ambitiosius offentatas, ad incudem revocarem; & quam parum Augustino repugnent, cumulativius ostenderem.

Sunt illae admodum quatuor, non modo citatis ab eo Patribus, verum etiam aliis plerisque superiorum temporum Tractatoribus familiares, quibus latam in gratia Vindicem sententiam arbitrat.

Prima, eaque omnium frequentissima, illa est, qua Deus illos eligere dicitur, quos religiose videtur praescivisse; imo idcirco illos eligere, quod

tales aliquando futuri praesciti sint. Quae verba, ut primum Launojo Patrum aliquem lesitantem in oculos incurrunt, quasi ridente Minerva, ac secundo sibi favente Mercurio, in Augustinum consensum illidit, ineluctabili veluti telo conficiendum. Miranda profecto Theologi Parisiensis eruditio! qui has ipsas loquendi formulas Augustino uti contrarias opponit, quas ipsemet identidem usurpavit, etiam quo ex tempore a priscino Massiliensium errore resiliit, novaque, ut ait, luce persulfus gratuitam praedestinationem imbibit animo.

Sic Libro I. ad *Simplicianum* questione 2. *Nemo eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur; unde quod dictum est: quia elegit nos ante mundi constitutionem, non videtur quomodo sit dictum, nisi praescientia.* Licet autem Libri illi ad *Simplicianum* Episcopum dati, non ita ut posteriores, limati, atque purgati videantur; ut ipse qui sub Episcopatus initium, & unius liberi arbitrii tuendi studio editi sint: in iis tamen, repudiato jam errore priscino, veram Christi gratiam triumphasse monet ipse; suoque ad illos identidem amulos milit lecho proximum, rectam divinam praedestinationis, & gratiae intelligentiam percepturos. Quod is minus aequo, imo imprudenter egisset, si eas in illis loquendi formulas usurpasset, quae rectum in sensum, ac defensatis ultimo dogmatibus consonum, flecti non possent. *Lege Lib. de Praedestinatione Sanctorum cap. 4. Lib. de dono perseverantiae cap. 20. & 21. Lib. 2. Retractionum cap. 1.*

Sic *Tractatu 42. in Joannem*, diu, post adeptum Episcopatum, exutumque Massiliensium errorem adornato, ista sub finem habet: *Quod ergo ait Dominus: qui est ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis: non naturarum merita discrevit, aut praeter suam animam, & carnem, aliquam naturam in hominibus, que peccato vitata non esset, invenit: sed quoniam praescit, qui fuerant credituri, ipsos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione renascerentur ex Deo. Ad hos pertinet: qui est ex Deo, verba Dei audit. Quod vero sequitur: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant (nam hoc malum commune erat omnibus) sed etiam praecogniti, quod non fuerant credituri, ea fide, qua sola possent a peccatorum obligatione liberari. Quapropter praescibat illos, quibus talia dicebat, in eo permanens, quod ex diabolo erant, id est, in suis peccatis, atque impietate mortuos, in qua ei similes erant: nec venturos ad generationem, in qua essent filii Dei, hoc est, ex Deo nati, a quo erant homines creati. Secundum hanc praedestinationem locutus est Dominus: non quod aliquem hominum invenit, qui vel secundum naturam jam non esset ex Deo. Quo quid apertius?*

Sic *Sermone 100. de verbis Domini*, illud Apostoli ad *Romanos* II. recolens: *reliqui mihi seipsem millia virorum, qui non curaverunt genus ante Baal, sic Deum loquentem inducit: Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me presumescentes, non de se, non de Baal.*

Quid phra? Cum ea in rem suam verterent Massilienses, quae scripserat pius Pater *Epistola 102. secunde Paganorum questioni* satisfaciens, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos predicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri: tantum abest, ut a dictis resiliat, ut iidem steterit multo magis; tamen nihil haec gratuita praedestinationi officere, demonstraverit *Libro de Praedestinatione Sanctorum capite 9. Cernitis me se-*

ne praedicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum, hoc de praescientia Christi dicere voluisse, quod convincenda Paganorum infidelitati, qui haec obsecrant questionem, sufficere videretur? Quid enim est verius, quam praescivisse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum praedico sibi Christo, a se ipsi habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, utrum tantummodo eos praesciverit, an etiam praedestinaverit Deus, quaerere, ac differere tunc necessarium non putavi.

Haec Augustinus, quo maxime tempore gratuitam praedestinationem tuebatur. Parem priscis Ecclesiae Patribus loquendi rationem usurpat, & a se pridem usurpatam cum hoc ipso dogmate cohaerere demonstrat. Quidnam itaque Patres ipsos gratuita praedestinationi adtipularos concedamus, tamen hanc ipsam sermonis formam tenerint? Quidnam haec ipsa interpretamenta, quae Augustini voces in rectum sensum accipimus, veterum quoque sententias commodemus? Tria porro admodum accommoda dari possunt.

Primum ab Augustino subministratum istud est, ut nimirum Deus eos eligere censeatur, quos in ipsum credituros, ac sancte, pieque victuros praescivit, praescientia videlicet effectrice, aeterno, & efficaci decreto nixa, quo pietatem, sanctitatem ac fidem se illis collaturum constituit; quae nihil idcirco ab ipsamet praedestinatione distinguitur, qua Deus ea ipsa praescivisse dicitur, quae fuerat ipse facturus. Aliquando, inquit *Augustinus Libro de dono perseverantiae capite 18. eadem praedestinatio significatur etiam nomine praescientiae, sicut ait Apostolus: non repulit plebem suam, quam praescivit. Hic quod ait, praescivit, non recte intelligitur, nisi praedestinavit, quod circumstantia ipsius Lestimonis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Judaeorum, quae salvae factae sunt, pereuntibus ceteris. . . . In hac ergo electione, & in his reliquiis, quae per electionem gratiae factae sunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia praescivit. Haec est illa electio, qua eos, quos voluit, elegit in Christo, ante constitutionem mundi, ut essent sancti, & immaculati in conspectu ejus in caritate, praedestinant eos in adoptionem filiorum. Nullus igitur, qui haec intelligit, negare, vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus, non repulit plebem suam, quam praescivit, praedestinationem significare voluisse. Praescivit enim reliquias, quas secundum electionem gratiae fuerat ipse facturus. Hoc est ergo, praedestinavit. Sino dubio enim praescivit, si praedestinavit; sed praedestinasse, est hoc praescivisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legitur Dei praescientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem praedestinationem intelligere?*

Alterum interpretamentum istud esto: ut nimirum propositiones illae simpliciter concedantur: Deus illos vocavit, elegit, praedestinavit, quos pios, religiosos, ac sanctos futuros esse praescivit: modo ne hac unica assertione plenam, & integram Mytherii praedestinationis enodationem stare concedatur: sed alia praeterea quaestio secretior, atque sublimior investiganda, solvendaque superfit. Negari quippe non potest, Deum ex aeternitate praenovisse, qui boni, quive mali futuri sint; illis premia, istis supplicia destinasse. At eo semel constituto alia longe difficilior animam pulsant: I. Quo medio, illorum quidem bonitatem, istorum pravitatem ex aeternitate praenovit? Num in ipso voluntatis suae decreto, quo se, & illorum bonitatem operaturum, & istorum malitiam permittitur esse constituit: num potius in ipsa cuiusque indifferenti, atque versatili voluntate? 2. Cur, (cum omnes ex aequo irae filii, atque

aeternae damnationi nascantur obnoxii) isti quidem in sua ipsorum improbitate relinquendi, illi ab eadem eripiendi praevideantur, ac decernantur? Ab iis quippe investigandis plerique Patrum abstinere. Atque ad hanc normam exigendas puto pleraque veterum sententias, qui missa pleraque questionum tractatione, nude, ac simpliciter pronunciantur, Deum illos vocasse, elegisse, praedestinasse, quos pios, religiosos, ac sanctos futuros esse praesciebat.

Tertium interpretamentum accedit, iis Patribus accommodandum, qui paulo intimius praedestinationis arcanum attingere: nec modo Deum illos elegisse, atque praedestinasse pronunciantur, quos pios, ac religiosos fore praesciebat; verum etiam illos idcirco eaque de causa praedestinasse, quod tales illos futuros esse praescierit. Si quippe non modo praescientiam, & praedestinationem agnoverit, sed illam insuper istius causam statuerunt. Quocirca ut in rectum sensum adducatur & ipsi, ex Doctore Angelico (*Par. I. Quae. 23.*) scire juvat, in operibus electorum a Deo praevisionem, duplicem causam rationem spectari posse, meriti nimirum, & finis. Primum ergo, si causam, ut schola loquitur, meritiorum inspexerimus, ordo divinae providentiae erga electos gemina graduum varietate distinguitur; quorum alii gratiae justificantis foceptionem antecedunt, ut dilectio, vocatio, electio, praedestinatio: alii justificantis gratiae receptionem consequuntur, ut gratiae auditio, justitiae incrementum, aeternae felicitatis adeptio. Si ergo de gradibus justificationis gratiam praevisionem, causam illorum meritiorum a Patribus dici, ne Pelagianis accessisse videantur, Deum merita nostra in sua praescientia elegisse statuentibus. At si de gradibus justificationis gratiam consequentibus ratio inaeatur, concedendum ultro, priscos Ecclesiae Patres, causam illorum meritiorum in operum praevisione possuide: ita nempe, ut Deus, ex illorum sententia, decreverit ante tempora, illis se gratiae, ac justitiae incrementa daturum, qui primo justificantis gratiae dono bene usuri praevisionem; ac subinde, ob merita bene servatae justitiae, aeternae felicitatis praemia largiturum. Haec itaque recta, haec sana verborum illorum intelligentia, sicubi Patres occurrunt: Idcirco Deus quosdam elegit, atque praedestinavit, quod bonos illos futuros esse praesciverit. Praedestinationis videlicet complementum, in iis gratiam justificantem consequentibus gradibus positum, praedestinationem, & electionem appellant; totum, ut fieri solet, a praecipua parte nuncupantes. Qui secus statuat, non satis catholicae fidei consult.

Ceterum si nos ad causam finalis contemplationem convertamus, nuda scholae controverfiam ingredimur, tuta fide hinc inde a Theologis agitatum. Seu enim bonorum operum divinae gratiae receptionem consequentium praevisionem, finalem electionis, ac praedestinationis causam vocitemus; ut eos idcirco Deus praedestinavit ad gloriam, quia illos ad gratiam bonorum operum effectricem destinavit in antecessum: seu vice versa, electionem, ac praedestinationem, gratiae, bonorumque operum inde fluentium finem appellare liceat; ut propterea quosdam praedestinavit ad gratiam, quod illos praedestinavit ad gloriam: fides perinde in tuto est. Quandoquidem quocumque res cadat, omnia demum in Dei gratiam, atque misericordiam referuntur. Si tamen Patres illos (de praedestinationis sine fortasse locutos) Augustinianae, ac Thomisticae Scholae, hoc etiam in capite, adjungere lubet, id unum scito: in negotio praedestinationis duo in Deo decreta fecerint, fin minus te ipsa, ac mentis consideratione distincta. Primum,